vincitur istud esse illis omnibus posterius. Quæcumque vero in hoc Arelatensi nota insigniore digna sunt, ea in ipsis fontibus, unde manarunt, a nobis jam discussa sunt.

CONCILIUM ANDEGAVENSE

Anni 453.

1. ANdegavum civitas Episcopalis est in Gallia Lugdunensi ad Ligerim fluvium sita, ad quam cum septem vicinarum civitatum Episcopi convenissent, & Thalassium electum Andegavensem (ut ex subscriptionibus Concilii Turonensis liquet) Episcopum consecrassent, suis pariter in commune collatis decretis Ecclesiasticam collabantem disciplinam fulcire nisi sunt. Subest vero Andegavensis Ecclesia Turonensi Metropolitæ. Celebrata Synodus hæc fuit Opilione V. CL. Consule, ann. Chr. 453. Leonis Papæ 13. Valentiniani III. Imperatoris 28.

2. Can. I. *Primum ut contra Episcopale judicium clericis non liceat prosilire, neque inconsultis sacerdotibus sæcularia judicia expetere. Sed nec de loco ad alium sine Episcopi permissione transire, nec sine commendatitiis Sacerdotum suorum litteris commeare.*

Vide superius Chalcedonenses canones 8. 9. & 20. Valentinianus III. qui tunc temporis in Occidente imperabat, Christiano Principi parum convenientem sanctionem promulgarat, qua sacros pessumdans Ecclesiæ canones, & divales Constantini Magni, nec non Theodosii Magni, & Caroli Magni, omni laude præcellentium Augustorum proculcans constitutiones, fori exceptionem Clericis abstulit, omnemque Ecclesiis juris dicendi potestatem ademit extra solas de fide Catholica & religione quæstiones, solisque his exceptis voluit quascunque cujuscunque gradus Ecclesiasticas personas, ab Officialibus laicis judicari, exilis ingenii Princeps, nullaque virtutum laude commendabilis. Carolus Magnus hanc immunitatem Clericorum a sæcularibus judicibus sancivit in suis Capitularibus lib. 6. cap. 303. & lib. 5. c. 390. Quæ require infra ad Sæculum VIII.

Can. VIII. *Monachi quoque, qui cœptam observationis viam relinquunt, & absque epistolis, & absque certis negotiis vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognita districtione si se non emendaverint, ab Abbatibus suis, vel a sacerdotibus ad communionem non recipiantur.* Vide superius Chalcedonensem can. 4.

Can. XI. *Non nisi unius uxoris viri, iidemque virginibus copulati Diaconi vel Presbyteri ordinentur.* Vid. Apostolorum can. 17. & Arausican. primæ Synodi can. 25.

CONCILIUM ARELATENSE III.

Anni a Christo 455.

1. QUarto a Synodo Chalcedonensi anno, Christique epochæ 455. sub Leone I. Papa, coegit istud Arelatense Concilium Ravennius Arelatæ Antistes, in caussa Theodori Episcopi Forojuliensis, ad quem extat Leonis Pontificis epist. 82. alias 91. qui cum jurisdictionis aliquod officium in Lirinense Monasterium exequi vellet obsistente Abbate Fausto & Monachis, cum gravissimo scandalo repulsus est. Sidonius in carmine ad hunc ipsum Faustum, cum quo magna erat necessitudine conjunctus, scribit, eum Maximi bis extitisse successorem, primum in Abbatia Lirinensi, deinde in Episcopatu Regiensi. Faustus Semipelagiani dogmatis præcipuus fuit assertor, & propugnator, cujus libros eam ob caussam Romana Synodus sub Gelasio Papa damnavit. Hujus ergo inter Theodorum & Faustum conflictus occasione coactum istud Arelatense Concilium rogavit enixe Theodorum, ut Fausto ejusque Monachis offensam condonaret. Deinde ne posthac similia jurgia occurrerent, in hoc incubuit, ut Episcopi & Abbatis jura discernerentur, ne horum ignoratione rixæ sopitæ aliquando recrudescerent.

2. Statuitur ergo, ut Monachi Lirinenses a nullo alio Episcopo præter Theodorum ejusque successores militiæ Clericali aut Ecclesiasticis Ordinibus ascribi possent. Ut ab eo solo monasterium chrisma requirat. Confirmationis etiam Sacramentum monachi suscipiant, aut ab eo cui permiserit, sacrum illud signaculum eis conferre. Ut nulli peregrini Clerici absque ejus arbitrio ad communionem, vel ad sacrum ministerium admittantur. Laici porro monachi ad solam Abbatis directionem regimenque pertineant: nec eorum quemquam Episcopus ad Clerum Ordinesve Ecclesiasticos promoveat, nisi Abbate id postulante. Require superius canon. 4. Chalcedonensem cum ibi adnotatis: quibus & ista, quæ sequuntur, visum est adjicere. Veterum etiam Monachorum sub Episcopis subjectio non tantum decernitur canone illo 4. aliisque ibidem congestis testimoniis, verum etiam Adriani Papæ II. epist. 27. ad Carolum Calvum Francorum Regem: *Omne* (inquit) *monasterium in potestate Episcopi consistere debet juxta canonicam auctoritatem. Et quia hoc est transgressum, ideo plurima monasteria habentur destructa.* Quod idem iisdem verbis repetit epist. 30. ad eumdem Regem. Concilii præterea primi Aurelianensis canon 21. statuit, Abbates subesse Episcoporum auctoritati ac potestati: & si quid deliquerint, ab iis esse corrigendos. Ista vero non ideo a me adducuntur, ut exemptionibus obsistam, quas posterioribus sæculis Regulares a suprema Sede impetrarunt: Sed ut meum prosequar toto hoc Opere institutum, veteres Ecclesiæ ritus & canones indagandi, ut dignoscant Lectores, qualis fuerit successu temporum multis in rebus Ecclesiæ ordo ac disciplina. Quoniam vero acriter disceptabatur utramque in partem quatenus pertingerent Regularium immunitates, quum isti eas ultra præscriptos limites proferrent, has singillatim controversias diremit, definivitque accuratissime Gregorii Papæ XV. constitutio, quæ incipit, *Inscrutabili*, ad quam ut normam inviolabilem subsequentes Summi Pontifices Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. & XI. & Sacræ Cardinalium Congregationes de Regularibus, quoties eædem concertationes recruduerunt, suas omnes constitutiones, decreta & judicia conformavere. Sed ante hos omnes Tridentina sacra Synodus sapientissime providerat sess. 5. de reform. c. 2. & sess. 23. c. 15. Præterea sess. 24. cap. 4. necnon sess. 25. cap. 3. in fine. Itemque cap. 7. & septem insequentibus. De potestate insuper Ordinariorum super monasteriis Regularium directioni subditis, Gregorius sanctissimus Ecclesiæ Pontifex & Doctor privilegium intendens, ut ipse dicit, indulgere sanctimonialium Monasterio Massiliensi in honorem Sancti Cassiani consecrato lib. 6. epist. 12. ad Respectam Abbatissam nonnulla sancivit. Plura vero Concilium Tridentinum locis paullo ante allegatis, & diplomata Summorum Pontificum revisenda, quæ in nostra Juris Canonici Theoria & Praxi recensui.

DISSERTATIO

DE PRÆDESTINATIANIS,

Deque Semipelagianis Fausti libris, & de commemoratis ab eodem Arelatensi & Lugdunensi Conciliis.

1. QUod omnibus fere Hæreticis commune est, falsa comminisci, quæ perversis dogmatibus apud incautos finem astruant, id Pelagianis & Semipelagianis maxime insedit, adeo ut pravis artibus pios & orthodoxos, addo & eruditissimos viros ludificaverint. Ipsique Augustino aliquando persuaserint Sixti gentilis atque de Pythagoreorum secta Philosophi libellum suæ faventem hæresi opus esse Sixti Romani Pontificis Christique martyris. Istud vero eruditioribus compertum est, & olim fuit, hæreticorum Prædestinatianorum sectam & nomen a solis olim Semipelagianorum Auctoribus conflatum fuisse figmentum Fausto Gennadio, Pseudoprospero; & cum tot tantique ab Augustini ætate Sanctissimi Doctores Ecclesiæ, de lapsorum hominum libertate, deque prædestinatione, de gratiæ Christi necessitate disputaverint, & amplissimos doctissimosque commentarios adversus quoscumque in his rebus sectarios ediderint, nemo tamen illorum ullibi Prædestinatianorum sectæ legitur injecisse mentionem, ut dubitari minime possit, calliditate Semipelagianorum fuisse ista nuncupatione designatos omnes orthodoxos, qui cum Augustino gratiam Christi cum hominis libertate post Adami peccatum ita conciliabant, ut liberum ipsum arbitrium peccato sauciatum posse negarent quidquam boni æternæ vitæ meritorii vel agere, vel conari, nisi gratiæ supernaturalis virtute præventum, quam Deus vel ex spontanea liberalitate peccatori largitur, vel ex mera justitia sua dare recusat. Atque inde fieri, ut quidam ex Divino æternoque proposito prædestinentur ad gloriam, alii vero in peccatis suis antecedentibus derelicti præsciantur, atque adeo, ut loquitur Augustinus, prædestinentur ad debita peccatis ipsorum supplicia sempiterna.

2. Quia tamen Semipelagiani pro persuaso habebant, gratiam & prædestinationem Augustinianam nequaquam posse cum arbitrii libertate stare, sed invehere fatalem quamdam sive ad bonum, sive in malum necessitatem, idcirco invidiose Catholicis affingebant quædam falsissima quasi ex Augustini sententiis consectanea, eosque velut hæreticos, & humanæ libertatis profligatores sub nomine Prædestinatianorum infectabantur. Id vero perspicue attestatur, & admonet Florus Diaconus Ecclesiæ Lugdunensis, cujus ipse nomine & mandato scribebat adversus hæreses Joannis Scoti, dicti Erigenæ, cap. 4. *Non potest* (ait) *inveniri toto tempore, quod fuit inter Augustinum, & nos, aliquam talem hæresim in Ecclesia extitisse, nisi quod, vel nos, qui eum sectamur, istius erroris accusant.* Scripsit autem Florus anno Chr. 849. & secunda Synodus Arausicana anno Chr. 529. celebrata, cujus quot sunt canones, totidem sunt fidei definitiones, non agnoscit extitisse, vel extare usquam hujusmodi hæresim Prædestinatianorum, dum ad amoliendam istam Semipelagianorum calumniam ita decernit: *Aliquos Divina potestate ad malum prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Et tamen ejusdem Synodi canones nihil ita inculcant & urgent, ut necessitatem prævenientis gratiæ DEI ad salutem, & ad quodcumque bonum opus. Ejus inquam gratiæ, quæ nemini debeatur, sed ex sola Dei miseratione, proposito, & electione singulari ortum ducat.

3. Posset aliquis suspicari, hoc genus erroris aliquorum ex Adrumetino in Byzacena Provincia Monasterio mentibus insedisse, postquam Felix ejusdem instituti monachus fratribus communicavit transcriptam Augustini ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Epistolam, (ea porro est inter Augustinianas epistolas numero 105.) in qua gratiam Christi probat esse gratuitam, neque ex hominum meritis dari, neque justorum electionem ex prævisis meritis oriri. Et nihilominus inexcusabiles omnes infideles, ipsosque infantes docet, quicunque sine baptismo vita excesserunt. His perlectis aliquorum animos perturbatio invasit: indeque inter fratres coorta est dissensio, cujus extinguendæ gratia duo Adrumetini monachi Cresconius & Felix (diversus ab illo Felice, qui transcriptam illam Augustini ad Sixtum epistolam ad fratres pertulerat) profecti ad Augustinum, ejus dissensionis remedium, & quidnam de gravibus illis difficultatibus sentiendum esset, expetiverunt. Hac occasione scripsit Augustinus ad Monasterii Adrumetini præfectum Valentinum epist. 46. in qua refert sibi a prædictis fratribus relatum natam fuisse in monasterio dissensionem: dicentibus nonnullis fratribus, gratiam solam ad salutem absque humana libertate conferri: aliis vero bonam voluntatem humanæ libertati, sine qua nemo bonum aut malum operatur, ascribentibus. Istaque occasione scripsit eodem tempore Sanctus Doctor librum de gratia & libero arbitrio ad Valentinum & Monachos ejus, in cujus primo capite hæc ait: *Quoniam sunt quidam, qui liberum hominis arbitrium sic prædicant.* Valentinus hoc recepto & perlecto inter monachos Augustini tractatu, gratulatoriam scripsit ad ipsum epistolam, (quæ inter Augustinianas ducentesima quinquagesima sexta collocatur) misitque, qui eam deferret, Florum monachum, admonens Augustinum accepto ejus libello fratres omnes conquievisse, & unanimes ejus acquievisse doctrinæ. Quia vero didicit a Floro Augustinus, fuisse quemdam, qui diceret, præscriptionibus nihil relinqui loci, hoc posito, quod libertas humana, quam Dei gratia non prævenerit, aut adjuverit, sit omnis bonæ operationis & cogitationis incapax, alterum scripsit ad eamdem fraternitatem luculentum tractatum de correptione & gratia. Utriusque tractatus caussam & argumentum idem perhibet Augustinus lib. 2. retractationum in fine. Nam c. penult. *Priorem*, ait, *scripsisse tractatum de gratia & libero arbitrio, propter eos, qui quum defenditur DEI gratia, putantes negari liberum arbitrium sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent DEI gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari: scripsi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotavi, cum mihi renunciatum esset, dixisse quemdam, ibi neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum.* Haud gravate concesserim, ex Adrumetinis Monachis fuisse nonnullos, qui mentem Augustini non capientes, liberum in bonis operibus arbitrium, aut elevarent, aut prorsus submoverent, ut gratiam Dei stabilirent: veruntamen iidem, postquam majori perspicuitate Augustinus rem illam elucidavit, aliter sentire cœperunt, neque ullius hæresis insimulari possunt, quia non ex pertinacia adversus Ecclesiam, sed ex inculpabili abstrusissimæ & difficillimæ quæstionis ignoratione, brevi tempore aberrarunt a veri cognitione, neque sectam ullam introduxerunt, neque ista de caussa quisquam veterum Monachos istos dixit aut hæreticos, aut Prædestinatianos.

4. Ediderat Prosper Sancti Augustini ejusque doctrinæ studiosissimus assertor Chronicon, quod adhuc fidelium manibus teritur. At Pelagiani, quibus illud Isaiæ 28. apprime convenit: *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus*, sive in despectum adversarii sui Prosperi, sive sperantes fore, ut genuinum ac germanum ejus Chronicon alterius fictitii suppositione aboleretur, cui tamen auctoritas ex ementito tanti viri nomine conciliaretur, alterum Chronicon edidere, cui præfixere ipsius Prosperi nomen, desinitque in idem cum altero tempus, scilicet ad annum Theodosii junioris XVIII. & Albini Consulatum, qui censetur Christianæ epochæ quadringentesimus quadragesimus quartus. Hic autem Pseudoprosper non modo Cassianum laudibus effert Semipelagianorum Antesignanum, sed etiam Augustinum ejusque discipulos hæreticis accenset, quos vocat Prædestinatianos, dicens: *Prædestinatianorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa est.* Istam loquendi audaciam post sæcula novem Sigibertus nonnihil moderari voluit ad annum 414. ut Prosper dicere debuerit non *ab Augustino*, sed *ab Augustini libris male intellectis*, & cum ista correctione editum est a Pithæo Prosperi Chronicon illud suppositititium, cum tamen in omnibus anterioribus editionibus, & omnibus, quæ reperiri potuere, manuscriptis, ubique legatur *ab Augustino*, nullibi vero *ab Augustini libris male intellectis*, quod etiam Sirmondus fatetur.

5. Alter de Prædestinatiana hæresi testis profertur Semipelagianus ipse Gennadius Massiliensis Presbyter & Cassiani discipulus. Hujus supersunt præcipui duo libri, scilicet de dogmatibus Ecclesiasticis, liber Pelagiana fuligine fœdatus, ad incautorum hominum fraudem Augustini nomine venditatus; & alterum volumen illustrium Scriptorum catalogum inscriptum, in quo magnis illis Pelagianorum adversariis virulenter obtrectat, Augustino, Hieronymo, Prospero, atque ex adverso Pelagianos laudibus extollit mirificis, Rufinum, Cassianum, Faustum. Augustinum fugillat mendacii ex multiloquio, additque sinceritatem illi defuisse, ut in ceteris ejus disputationibus, sic etiam in quæstione de mortuorum resurrectione, eumque in disputando sic erraſſe dicit, ut tamen nondum fuerit hæresis condemnatus. Idem Hieronymum Rufini obtrectatorem vocat, & æmulationis stimulo incitatum, ad obloquendum vertisse stylum asserit. De Prospero ita scribit: *Vidi librum adversus opuscula*, (suppressis Cassiani & Vincentii nominibus) *quæ* (opuscula) *Ecclesia Dei probat, sed ille infamat nociva.* Fausti eadem cum Cassiano & Vincentio fuligine tincti librum de Gratia Dei dicit opus egregium, librique auctorem egregii Doctoris elogio cohonestat. Idem pariter Gennadius indiculum de hæresibus conscripsit, in cujus calce notat Prædestinatianos, iisque eadem dogmata ascribit, quæ Semipelagiani Massilienses apud Prosperum in objectionibus Gallorum & in Vincentianis invidiose Augustino affingunt, ejusque discipulis præmoventis gratiæ necessitatis, absolutæque ex divino proposito prædestinationis assertoribus. Quocirca sapienter Dionysius Petavius tom. 1. de Theol. dogmat. libr. 9. cap. 2. fidem facit in illo Gennadii indiculo, *nonnulla referri prædestinatianorum capita quasi hæreses, quæ majori ex parte Augustini doctrinam sapiunt, nisi quod ad invidiam illis simul & Augustino faciendam calumniose concepta sunt.* Itaque Gennadius ipsemet hæreticus Catholicos ipsos in hæreticorum album sub prædestinatianorum appellatione odiosa referre non erubuit.

6. Superest ut Faustum a Gennadio ejusdem assecla commendatum dispiciamus. Faustus id quod a Magistro & Doctore suo Cassiano didicerat, cumulate docendo & scribendo præstitit. Docet Cassianus collat. 17. c. 17. licitum esse absolute mentiri ad bonum finem. Nec id solum, sed præterea saluti animæ plerumque necessarium esse mentiri, ita ut ex mendacio sæpenumero homo justificetur apud Deum; nec raro eveniat, ut pœnam mereatur æternam eo quod mentiri opportune noluerit. Faustus hac intentione propagandæ suæ sectæ mendaciorum portenta comminisci ac effingere non est veritus; quæ caussa est, ut jure merito Isidorus lib. de viris illustrib. c. 14. virum illum notet profundæ calliditatis, & Baronius virum dicat vafri consilii, & vulpeculam versipellem, duobus ab illo conflatis libris Semipelagiana hæresi aspersis de gratia & libero arbitrio, quos Gelasius Pontifex in Romano septuaginta Episcoporum Concilio, & post Gelasium Hormisda quoque Pontifex in suo ad Possessorem Africanum Episcopum rescripto damnarunt, quos etiam contrariis scriptis libris impugnarunt